8

ANIMADVERSIONES IN NÆNIAM FUNEBREM MARTINI STEYARTII,

Doctoris Lovaniensis.



ANIMADVERSIONES
IN
NÆNIAM FUNEBREM
Martini Steyartii, Doctoris Lovaniensis.

INtolerabilis est audacia & insulsitas, ut ne dicam impudentia hominum, qui nulla ratione veri aut justi habita, in *Chartis* istis, quas *Mortuarias* vocare solent, sine delectu aut discrimine deblaterant, quidquid in buccam venerit. In isto assentationis genere eminet recens epicedium Martini Steyartii, S.T.D. & P. in Universitate Lovaniensi: quod cum in Viro illaudabili mendacibus encomiis efferendo omnes verecundiæ metas transsiliat, non abs re publica me facturum existimavi, si næniam illam putidam & ineptam, *Animadversionibus* hisce pauculis, velut levioris cujusdam disciplinæ ferula, flagellarem. Nescio enim profectò, uter in communia commoda deterius peccet: an qui sanorum dogmatum patronos Theologos convitiis obruit; an qui pravarum doctrinarum inventores propugnatoresque, perniciosis publico vehit laudibus.

Principio quidem, in ipso feralis scedulæ titulo ex catalogo *bonorum* deletos observo, qui mortem Doctoris Steyartii non exceperunt *mœrore in-*

 credibili

credibili propè exanimati: ac si justa *omnibus bonis* mœroris incredibilis obtigisset causa: quod vir jam annis bene multis Academiam Lovaniensem dissidiis funestis turbans, factionibus dirissimis lanians, dogmatibus pessimis ac flagitiosis instituens; bonos divexans, infamans, proterens; malos protegens, honorans, evehens; denique innumerarum nocentissimarum molitionum artifex, naturæ debitum solvens, Universitatem ab oppressione liberatam dederit, & spem faciat ut res collapsas istius Athenæi, adminiculantibus Sacerdotii & Regni præfectis, in statum pristinum velut postliminio reducere liceat. Nisi fortassis scedulæ *mortuaria* compilator *incredibilem* illum *mærorem* elicitum velit ex illo capite, quòd vir ingenio non vulgari, aliisque non spernendis naturæ dotibus divinâ munificentiâ præditus, atque ab adolescentia in purgatioris Theologiæ principiis educatus, eruditorumque amicitia, contubernio, ac familiaritate diu potitus, ob privati emolumenti rationes à veritate & veritatem tuentium commercio ac conjunctione defecerit; & nulla retractatione facta hinc abierit ad tribunal illud pavendum, coram quo * *nec absida gradata* (ut ipsum olim, imo & † recenter adhuc, amicus vetus commonefecit) *nec cathedra velata, nec Doctoratuum, Præsidum, Professorum Regiorum, Vicariatuum, Decanatuum, Conservatorum officia adhibebuntur ad defensionem,*

* *In Capistro &c. pag. 27.* † *In expostulatione non pacifica &c. pag. 16.*

fensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter judicare. Nam ut ex Augustino continenter adjungebatur: *Quæ hic honorant, ibi onerant; quæ hic relevant, ibi gravant.*

Defuncti encomia dein orsurus consarcinator, de illo ait: *Anno ætatis* 18. *pædagogii Castrensis, & totius nobilissimæ promotionis in artibus primus omnium votis.* Cur promotio illa venditetur præ aliis *nobilissima*, vel, ut adulando accinit Orator funebris, dicantur illo magis anno *elegantissima concurrisse ingenia*; nullis hactenus documentis compertum vidi; incumbetque assentatoribus istis, ut fidem suam liberent, eorum aliqua in lucem edere. Cum *primum omnium votis* fuisse jactat Libitinarius, fallitur & fallit: neque enim vel in utroque *actu* (ut nuncupant) primus fuit: sed alumnus Falconensis, cui Steenonio nomen erat, palmam ei eripuit in actu altero. Hæc quidem exilia ac minuta sunt, sed commonstrantia quam sine delectu tabellæ faber, quidquid imaginatio fervida suggessit, in chartam conjecerit, ut fucum faceret imperitis.

Pro secundo encomio peculiari (nam communia transeo) recitatur, quod *Vianio & Lupo Collega datus in celebri deputatione ad Apostolicam Sedem, spinosi negotii molem in Urbe solus fere sustinuit.* Non tantum nec *solus*, nec potissimus: sed contra turbarum aliquid Romæ moliri, atque adeo Apostasiæ suæ deinceps consecutæ fundamenta locare incipiens, Collegis id subodorantibus, ab

Urbe dimiſſus, illaudabiliter domum rediit.

Encomio tertio jactatur, quod *Reverſus Ipras luculenta ibidem vaſta ſanaque eruditionis ſpecimina edidit, Theoriam à Janſenianis & Bajanis erroribus, iuxta ac Moralem ab exceſſibus expurgans.* Luculenta illa vaſtæ ſanæque eruditionis ſpecimina Ipris edita nos hactenus latent. De Janſenianis erroribus mox dicetur: nam laus eadem, velut idem in bina fercula diſpertitum opſonium, inferius denuo prædicabitur. Porro ſi quam gloriam prius meruit, *Moralem* purgans à laxitatibus; *Moralem* dein ipſemet poſt turpem Metamorphoſem laxitatibus inficiens, tanto fœdius eam perdidit.

Quartum encomium habet, quod *Lovanium accerſitus Theologicam Facultatem ſuffulſit, ſcholæ gloria, os, & lingua; ſuoque ævo rei Theologicæ Phœnix.* Non accerſitus, ſed manibus pedibuſque reptans ut ad aliquam quaſi *partem ſacerdotalem* admitti poſſet, atque abdicatis iſtis dogmatibus, quibus ab adoleſcentia imbutus erat, & quæ ipſe magno conatu privatim inſtillaverat Theologicæ ſcientiæ candidatis; ſe intruſit in *Facultatem*, dominatus ſui baſim ab arrepto hoc officio poſiturus. Hinc illa ad Univerſitatem redeuntis vox, quam Bruxellis, ægrotus lecto decumbens, in diverſorio cui * *ſaltus* nomen eſt, apud amicum familiarem, uſurpatione longe diverſa à gentium Apoſtolo, decantabat: *Ego ſub nullius redigar*

* *'t Wout.*

gar potestate. Porro *schola os & lingua* fuit, ad mordendum viros egregios, & latrandum in doctrinas ſanas. Nam poſt Wiggerii Concluſiones ordine prælectas è Theologica ſua cathedra, & iiſdem fere, quibus ab auctore, firmatas probationibus (quam ſcientiam penes ſe facillimè tyronibus haurire licebat) cætera temporis conſumebat invectivis in Rigoriſtas ac Novatores, hoc eſt, ornatiſſimos collegas ſuos: munus illud uſque adeo excellens ac pretioſum convertens in dentatam ſatyram, maledicentia & felle plenam. Si illa profecto eſt Phænicis illius gloria, citra controverſiam tam eſt vana & imaginaria quam avis ipſa. Nam meram fabulam eſſe quidquid magno apparatu de illa Hiſtorici & Poetæ garriunt, neminem, paulo ſagaciorem, fugit. Itaque, præter intentionem quidem improvidi compilatoris, revera fuerit Martinus iſte idem in Theologia, quod Phænix volucris in Arabia. Niſi fortaſſis alluſionem fecerit ad cryſtatum verticem, quem ales iſte faſtuoſius memoratur attollere: (valent enim quandoque ſimilitudines etiam ex commentis petitæ) tum nihil certè erit ut ſubtili refragemur Encomiaſtæ: nam plumeum apicem non fictitiè aut fabuloſè in Lyceo Lovanienſi Steyartius extulit, auditus etiam aliquando, nec omnino ironice, in ſcholis * dicere:

Sublimi ferio ſydera vertice.

* *In Declam. feſtiva.*

In quinto encomio ſchedulæ corraſor paratragœdiatione ſua omnes pudoris limites prætergreditur. *In Hellade*, inquit, *& Latio domeſticus, cunctarum pæne linguarum Europæ gnarus: omnis Hiſtoriæ Sacræ & Profanæ callentiſſimus: nulla in arte bona Liberali aut Mechanica peregrinus: ubique ſciens: Doctor Univerſalis: ingenio & lectione Toſtato ſuppar, caſtigatiore doctrina ſuperior, licet editorum inferior numero voluminum.*

En vappam aſſentationis, ſi quam uſpiam terra protulit. *In Hellade & Latio domeſticus* fuit, ſicut coqui ſunt domeſtici in palatiis: quamquam nec culinarium ſermonem Helladis calluiſſe firmiſſimè in animum inducam meum. Nulla illius peritiæ, quod ſciam, ſpecimina vidimus: niſi quod quidpiam arrodere auſus in Embricenſi verſione, græci textus energiam flandricè reſonante, mox ab interprete repercuſſus, perpetuo ſe damnarit ſilentio. Quam porro infra mediocritatem in Latio domeſticus fuerit, ſi cum puræ latinitatis ſcriptoribus conferatur; numerus voluminum editus, (quæ omnia ſimul conflata vix juſtam libri *in quarto*, ut vocant, molem æquaverint) me tacente, largiter & clare probat. Cunctarum pæne Europæ linguarum gnarus fuit, ſicut fert trivialis paræmia: *Ex omnibus aliquid, ex toto nihil.* Nam cum aliquando trium foliorum Grammaticam vel ipſius materni ſui idiomatis aggredi tentaviſſet; opellæ ſuæ pudens, impreſſionem totam in antro quo-

quodam cubiculi, (quod in Collegio Pontificio *infernus* dicitur) ubi eam meis oculis abjectam conſpexi, blattis ac tineis dedicavit. Idem cogita de *Omni Hiſtoria Sacra & profana*, atque *arte bona Mechanica & Liberali:* quarum vel rudimenta aliqua vel rudera ſaltem proferri, magno deſiderio poſcimus. *Ubiqueſciens* fuit, & *Doctor Univerſalis:* quia in Sciolorum gurguſtiis expolitus, ardelionis inſtar cunctis fere jam flagrantibus controverſiis ſe ingeſſit; ſed etiam fere ubique commitigatum ſoleis caput, contuſa flagris latera, denique totum corpus pulvere, ſudore, ſanguine deformatum & exhauſtum inglorius è ſtadio retulit.

Venturus jam compilator ad recenſionem *Voluminum*: *In his*, ait, *eminent Notæ in damnatas propoſitiones*; POSITIONES *pro Romani Pontificis infallibilitate*; THESES *ejus tam Sabbatinales, quam aliæ*; *& præcipue* APHORISMI *Theologici: quibus inſtar Apellis lineas duxit, & quaſdam reliquit imperfectas, nulli artifici facile abſolvendas, ea ſtyli elegantia & energia, rerumque delectu, ut quod Romana Florus in Hiſtoria, id ſit Steyartius in Theologia.* Uſque adeone libet pollinctori iſti (nam eo nomine & officio, quam Encomiaſtæ, ſe digniorem præſtat) imperitorum ſimplicitate & inſcientia abuti, ut eruditorum judicium non reformidet! An ignorat, Notas illius in quinque propoſitiones famoſas, à *Palladio* ſpongia tam accurata deletas, ut poſt vitilitigatione

aliquas ad terram collifo, ac palæftra excuffo, vox faucibus hæferit? An ignorat, *Doctori Univerfali* idem accidiffe circa *Pofitiones* pro infallibilitate Pontificis; & quàm miferè à Gallo cæftibus dedolatus *fibi fuga confuluerit ex eo genere*, (verba Steyartii in *Pofitionibus* ufurpata mutuo) *quod gallice* DEFAITES *vocant*? An demum ignorat, *Ape'lis fui lineis* fapientiffimum Arnaldum, in *Difficultatibus* Martino *propofitis*, frequenter velut alterum Protogenem arrepto peniculo lineas induxiffe fubtiliores; novo autem imo notho Apelli obriguiffe manum ne lineis fecundis magis iterum tenuibus priores fecaret? Porro necdum pervenerat ad aures meas, in albo Magiftralium Voluminum, Toftatianis æquiparandorum, cenferi Scholares Thefes, quas paffim factitare folent, primum ære loti, Theologicæ fcientiæ myftæ. Enimvero jam campus fpatiofus laudis à confcriptis voluminibus apertus eft filicerniis Dominis ac Magiftris noftris, qui a juventute ufque ad niveos canos fuggefta doctoralia trivere in Hallis grudiis. Res dolenda, quod mors præmatura Toftatum noftrum alterum à conglomerandis adhuc hujuscemodi voluminibus infinitis tanto reipublicæ litterariæ detrimento arcuerit. Eft etiam quod miremur, cur Martinus ipfe toties ingeftum fibi *de opere juftæ molis* improperium numquam Thefium iftarum juftiffima oftenfa mole, abftergere & explodere cogitarit.

Sexto encomio venditatur, quod *diffufiffima lectio-*

lectionis nulla faceret adversaria , prodigiosa & numquam fallenti confisus memoria. Id explicatius ita edisserit Orator funebris. *Libros tam suos , quam aliorum etiam recentissime editos , legebat quidem omnes ; sed subito aliis donabat , contentis eorum memoria sua , velut libro vivo impressis.* Recte nimirum defunctus, cum viveret, in convivio quodam (si bene memini) insolentiâ * Roboamiticâ se comparavit Antecessori suo Decano Nicolao Boosio, de quo Ex. Magister Pontanus consueverat dicere, *quod libros legeret sicut gallus saltans super prunas :* taxans meritò leve illud legendi imo vorandi libros, & insatiabile cacoethes. Lucubrationes enim Auctorum solidorum, qui soli seriò lectu digni , non saltim percurrendæ & confestim abjiciendæ ; sed masticandæ, ruminandæ, quin & in commentaria referendæ sunt, atque meditatione diligenti ac pacifica digerendæ. Tum fit ingressus in mentem eorum ; doctrina funditus eruitur, agnoscitur, capitur ; acquiriturque peritia non quibuslibet nugatorie obstrependi , aut de quibuslibet sine certa intelligentia & librato judicio garriendi ; sed *tractandi magnifice Sapientiam*, dogmata Scripturarum ac Patrum tradendi suffragiis se invicem fulcientibus , & compage fidei undequaque sibi firmiter cohærente ; ac demum , ut in Evangelio adhortatur Christus , *instar* opulenti *Patris-familias producendi de thesauro suo nova & vetera.*

At quis non stupeat *diffusissimæ lectionis* virum,

* 3. *Reg.* 12. *v.* 14.

rum, *in Hellade & Latio domesticum*, *cunctarum pæne linguarum Europæ gnarum*, *omnis Historiæ Sacræ & Profanæ callentissimum*, *nulla in arte bona liberali aut mechanica peregrinum*, *ubique scientem*, *Doctorem universalem* mox tam curta librorum suppellectile in scenam sisti, ut *moriens non alios possederit libros quam Biblia Sacra, Summam Divi Thomæ, ac binos ejus interpretes Sylvium & Wiggers, Romanumque Breviarium.* An forte libros, quibus in Hellade & Latio Domesticus, ac cunctarum pæne linguarum Europæ gnarus evasit, *lectos etiam subito aliis donavit, contentis eorum memoriæ suæ velut libro vivo impressis*? An eadem repentina lectione Historiam Sacram ac Prophanam omnem callentissimè tenuit? omnes artes Liberales ac Mechanicas suas fecit? Doctoris Universalis, *qui scibile discutit omne*, luculentiam sibi peperit? Equidem tum non amplius ut Tostato suppar, aut par, aut celsior, sed ut Theologi monstrum, sapientiæ prodigium, portentum sagacitatis & industriæ, super omnes qui umquam fuere aut futuri sunt sapientes, efferendus, & inenarrabilibus præconiis celebrandus, imò, digito labiis impresso, silentis consternationis reverentia admirandus est.

Septimum encomium non erubescit asserere, quod *in illa amplitudine scientiæ & (quos numquam ambivit) honorum fastigiis demissè de se sentiebat.* Ambitum illius, fastum, & vanitatem alta voce commonstrant, *Notæ in epistolam ejus ad Ar-*

chie-

chiepiscopum Cameracensem, *Lettre à Monsieur Steyaert touchant son election pour la Charge de Conservateur*, *Supplica pro parte Fisci Academici oblata Rectori Magnifico*, & alia innumera Academicis probe nota: ut supervacaneum sit iisdem exscribendis, aut sigillatim recensendis, fastidiosius immorari.

Octavum encomium, priori impudentia non cedit. *Animi sui moderationem, veramque Orthodoxiam, Novitatum odio, ut certo utilissimoque documento probavit. Id solum ei gratum & securum erat quod in Ecclesia receptum.* Nimirum ex hoc Novitatum odio docuit moderatus ille Doctor, quod * *Ebrietas per se, atque ut communiter fit, sit peccatum fornicatione gravius.* Ex hoc odio docuit: quod † *qui contra conscientiam omittit fornicari, credens id sibi praeceptum esse, gravius peccet, quam alter qui fornicatur, sed qui in conscientia credit id sibi licitum.* Ex hoc odio docuit, quod ‡ *recenter lapsi facile & cito restituantur, quemadmodum candela recens extincta, admoto igne, facile reaccenditur*; adeoque *Sacerdos eadem nocte in fornicationem lapsus absolvi possit, & mane ad altare mitti ac celebrare, si alias plebs die Dominica Sacro frustranda foret.* Orthodoxiam suam probavit, cum asseruit * *Scholasti-*

* *In Declarat. ad articulum* 8. *inter articulos oblatos.* † *Aphoris. p.* 1. *dis.* 1. *n.* 6. ‡ *In Declarat. ad Art.* 30. & 31. * *In Thesi* 5. *Martii* 1692.

lasticos esse hujus temporis Patres, sicut Patres erant Scholastici temporis istius. Nihil nisi in Ecclesia receptum tradidit, cum * *Angustam Portam* (Luc. 13. v. 24.) dixit *esse portam Religionis Christianæ, etiam quatenus à vulgo fidelium observatur.*

Pro nono ac postremo encomio numerari queat inverecundissima hæc pronuntiatio: *quod in moribus nihil repererit oculatissima invidia culpandum.* Quid? in moribus illius nihil culpandum reperit, non quidem invidia, sed zelus divinæ gloriæ: cum tam severe † increpitus fuit, quod invidia stimulatus, & privato commodo atque honori velitans, à saniorum dogmatum tuitione, laxiorum expugnatione, & virorum bonorum, quibus Christiane adunatus erat, conjunctione defecerit, Apostasiâ horrificâ totum Belgium percellente? quod Adacamiam Lovaniensem, quæ ante illum labii unius erat, dissensionibus toti Ecclesiæ Belgicæ funestis, & infinitarum animarum strage fæcundis, miserrimè laceraverit? quod persecutionis in purioris Doctrinæ & laudabilioris vitæ viros suscitatæ incensor, applausor, quin & executor extiterit? quod ‡ Collegium, cui præerat, in tabernam Studentium, potitatione, lusu chartarum, ac tabaci fumatione celebratam converti passus sit: indisciplinatos etiam illos indiscriminatim mittens ad Sacros ordines, quin &

* *In Thesi 26. Julii 1695.* † *Vide Notas in Epist. Steyartii ad Archiep. Cameracensem.* ‡ *Vide Motivum Juris pro Licentiato Opstraet &c.*

& contra à modestia, pietate, sedulitate in studiis commendatos, negato consueto *Testimonio* ab Ordinibus arcens? Nisi forte ad morum vitia dumtaxat pertineat, se inebriare, mœchari, diris se & alios devovere; aut istius metalli scurrilibus & propudiosis ipsi mundo criminibus fœdare vitam.

Quod effertur de indifferentia Magistri Martini ad oppetendam mortem, sunt qui arbitrantur accidisse ex vitæ tædio: propterea quod non succederent illi ad votum omnia, nec de adversariis suis pede pressis, ea, quam avebat, excellentia triumpharet.

Sed bellissima est gloriatio de nullo anxiè condito Testamento: utpote quem intelligimus tanto ære alieno obrutum, ut vinculum juris in paucula reliqua à diversis injectum sit, & nemo heres compareat emolumenta cum oneribus suscepturus.

Demum ineptissimam næniam Compilator consentaneo fine claudit, cum *pro defuncto* ORTHODOXORUM *omnium suffragia obnixe implorat*: quia nimirum moris esse vidit, in aliis schedis *mortuariis* heterodoxorum etiam suffragia poscere. Hunc morem de cetero abrogatum cupit, sine studio *novitatis*.

Quid jam tandem omnibus his *contradictoriè* expensis superest, nisi ut commentitia de mortui istius Doctoris, & Præsidis infumati gloria, simul cum *Nania Funebri*, quæ fumos vendidit.

didit, in fumos etiam ipsa eat; & moriatur.

FINIS.

PERTINENS.

Cum obitus Doctoris Steyartii annuntiaretur in nave ordinaria, quæ Antverpiâ Bruxellam tendit, quidam è viatoribus facetior elata voce dixit: *Requiescat in pace: non requievit in vita, saltem requiescat post vitam.*

